Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2115
Quelle:
Copyright:

bant, *coassumptis sibi duobus senioribus.*

DCCCLXXIV.

R. 2178 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 234. f. charactere atro, luculento pulcre perscriptus, coloribus illustris, et Picturis X. literas initiorum implentibus auro fulgidis ornatus *Psalmodiae* Chori Officium per annum complectitur praevio *Calendario*, cujus singularia haec sunt: Antecedunt redacta in versus memoriales Festa ordine mensium primis tantum syllabis aut literis indicata, v. g. *Ci. si. ge. ia. nus. appa. ri. ti. wilh. pri. mus. i. fe. mau. mar. ant. pris. ce. fab. ag. vin. e. me.* &c. quae lego: *Circumcisio. Genofeva. Januarius. Apparitio* seu Epiphania. *Wilhelmus. Paulus primus Eremita. In Pincis Felix. Maurus. Marcellus. Antonius. Prisca. Fabianus et Sebastianus. Agnes. Vincentius. Emerentiana* &c. et observo, totidem cuivis mensi adtribui syllabas, quot ille dies numerat. *Januarii die* 13. notatur *Commemoracio episcoporum et abbatum ordinis nostri;* unde Codicem Coenobio cuidam *Benedictino* aut *Cistercienſi* datum fuisse intelligo. Die 31. *Obijt Marchio hermannus de brandenburg*, de quo dicam postea. *Martii* 11. *Obijt Otto marchio filius alberti de brandenburg.* 18. notatur *Primus dies seculi*, puta Creationis Mundi. 21. *Benedictus* miniatus, uti 20. *Aug. Bernhardus. Aprilis* 29. *Rubertus Abbas*, non quidem miniatus; invocatur tamen nomen ejus infra in *Litaniis*, unde in Coenobium Ord. *Cist.* propendeo. *Maji 8. Stanizlaus mart.* miniatus. *Junii 21. Obijt Inclitus wencezlaus rex bohemie*, videlicet IV. (al. II.) prior Maritus *Elisabethae Przemistai II. Pol.* Regis filiae, et quidem anno 1305. *Julii 3. Obijt generosus rudolfus rex boh.* nempe *Alberti* I. Imp. filius, *Elisabethae* Maritus alter, et quidem mox a. 1306. Ejusd. mensis 24. *Obijt otto longus marchio brandeb. Augusto* praeter *Bernhardum* jam dictum miniata etiam 26. *Hedwigis translacio. Septembris* 12. notatur: *De spiritu sancto in conventu et priuatim ab omnibus celebretur.* Item 28. *Wencezlaus mar.* miniatus est. *Novembris* 20. notatur *Commemoracio parentium nostrorum*, et 3. *Decembris: Obijt albertus marchio de brandenburg.* Ex his jam colligere potuit Lector, Codicem hunc, ut alios hic productos, e liberalitate memoratae Reginae *Elisabethae* Viduae fluxisse, quae conjunctos sibi vario adfinitatis nexu *Brandeburgicos* eidem insertos voluit. Sunt autem hi serie temporis, ni fallor: *Albertus II. Ottonis* I. filius ✠. 1221. *Otto* III. ejus filius dictus *Pius* ✠. 1267. *Otto* ejus filius dictus *Longus* ✠. 1298. et *Hermannus* ejus filius pariter *Longus* dictus ✠. 1308. In ipsa jam Psalmodiae fronte ad oram inferam videas Reginam in genua procumbentem, Deoque elevatis manibus Librum offerentem